



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

ductus est ad Annam. Artic. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

Domino. Ille fugit, qui propter aliquod temporale commodum, vel tentationem aliquam relinquit iustitiam, aut veritatem. Et generaliter in omni peccato mortali, fugitur à Deo. Secundo consolamur, si forte in necessitatibus nostris deserimur ab amicis, quos putabamus fideliores, quia & Christo hoc factum est.

Fugere mystice quina dicitur à Christo.

IESUS DVCTVS EST AD ANNAM. Articulus XX.

In hoc articulo considerare habetis, quibus contumelijs, verberibus, iniurijs, clamore, armorum strepitu & clangore mansuetissimum agnum trahebant & impellebant, quando captum & ligatum eum duxerunt ad Annam. Fuit autem hæc ductio violenta, ignominiosa & dolorosa. Violenta quia tractu & verberibus. Licer enim Dominus sponte ibat sicut agnus ad victimam, nihilominus tamen non ducebant, sed potius trahebant eum, vnus sursum, alius deorsum, alius deorsum, alius sinistrorsum: ita vt Dominus sæpius cecidisse credatur, nec se iuuare potuisse: quia ligatas habuit manus, & cum surgere cito non poterat, super terram tractus putatur. Isti enim tribaldi, quicquid ex industria doloris & confusionis excogitare poterant, Domino inferebant. Secundo fuit ignominiosa, quia ducebatur vt latro, scilicet vincis manibus (vt multi scribunt) post tergum. Tertio dolorosa, quia multos dolores passus est in corpore & in corde. Nonies legitur Dominus Iesus ductus à media nocte, quando fuit captus, vsque ad meridiem quando fuit crucifixus. Primo fuit ab horto, quando captus fuit & ductus ad Annam: Et hæc est ductio, de qua nunc loquimur. Secundo, duxerunt eum ab Anna, ad Caipham. Tertio, à Caipha ad Pilatum. Quarto, à Pilato, ad Herodem. Quinto, ab Herode, iterum ad Pilatum. Sexto, milites duxerunt eum intro in pratorium, vbi illuserunt ei coronam spineam cruciantes eum. Septimo, Pilatus eduxit eum foras, portantem coronam spineam. Octauo, eduxit eum ad locum, vbi sedit pro tribunali. Nono, fuit eductus ad locum Caluarie, vbi fuit crucifixus. Has nouem ductiones representant homines deuoti hodie, quando nouem Ecclesias, vel nouem altaria visitant, & deberent etiam cogitare, quid in qualibet ductione Dominus Iesus passus esset, & quid ab vna vsque ad aliam. Qui autem non vult, vel non potest visitare tot Ecclesias, deberet vel posset tot Pater noster dicere, & tot genuflexiones, vel prostrationes facere: & sic Domino Iesu pro singulis gratias agere. Possent hic multa moraliter dici, sed maneamus cum passione Domini.

Ductio hæc quam fuerit violenta.

Item. II.

Ignominiosa. Dolorosa.

Ductus vti fuerit Christus nonies ignominiosus.

Ductiones hæc nouem qui mystice honorantur.

IESVS FVIT PRÆSENTATVS ET EXAMINATVS ANTE ANNAM. Artic. XXI.

Interim quod Dominus fuit in horto captus, congregauerunt se Scribæ & Pharisei in domo Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius, & ad quem ducendus erat Iesus. Sed quia in via, domum Annæ præterire habebant qui ducebant Iesum, & quia Annas erat socer Caiphæ, ad reuerentiam illius duxerunt primo Dominum ad Annam. Annas ergo pontifex interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius: Ad primam interrogationem Iesus nihil respon-

Ioan. 12.

Ioan. 18.

VI
21